10.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MODO HISTORIAS MORBORUM RECTE CONSIGNANDI ET AD VSVM APPLICANDI,

QVAM

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA

IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

COLLEGII MEDICI h. t. DECANO ET SENIORE

PRO GRADV DOCTORIS

D. MAJI MDCCXXI.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTET

AVTOR ET RESPONDENS

CAROLVS SIBETH,

Roſtochienſis Mecklenburgicus.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis JO. CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30774123

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
MODO HISTORIAS MORBORUM RECTE CONSIGNANDI ET AD USUM ADPLICANDI.

PROOEMIUM.

NObiliorem eruditionis medicæ partem in exquiſitis de quolibet morbo obſervationibus contineri, nemo ſane in dubium vocabit eorum, qui recte de medicina ſentiunt & in artis opere indefeſſo ſtudio ſudant. Sunt enim hæ baſis rectæ ratiocinationis in medicina & anima ſinceræ pathologiæ. Manca profecto, quin imo prorſus ſterilis eſt illa pathologia, quæ ex limpidis hiſce obſervationum fontibus ſuos non deducit rationum rivulos. Neque enim

alia commodior methodus ſuppetit, qua morbos a ſe invicem recte diſtinguere eorumque cauſas valde ſæpe diſſidentes penetrare poſſumus, quam per multiplices & magna cum accuratione inſtitutas obſervationes. Ad prudens quoque judicium de morborum eventu ferendum, quæ res famam & exiſtimationem medici mirifice amplificat, certior & melior nulla, quam per obſervationes, patet via. Quodſi veterum & ipſius adeo medicinæ parentis, Hippocratis monumenta evolvamus, plurimæ quidem regulæ prognoſticæ ibidem annotatæ deprehenduntur, quæ tamen maxima ex parte ſunt fallaces, quia non ex perfectis atque completis morborum hiſtoriis & obſervationibus, ubi ſingulæ circumſtantiæ cum cura annotatæ ſunt, ſed ex quibusdam tantum ſunt depromtæ, unde etiam pro univerſalibus ſententiis & legibus prognoſticis haberi nequeunt. Videas etiamnum noſtro tempore celeberrimi nominis medicos mirum quantum hallucinari, ſi de morbi cujusdam futuro eventu judicium ab iis expetitur. Hi ſi ſolerti diligentia omnes & ſingulas morbi circumſtantias probe annotarent, inter ſe accurate conferrent & ſuper trutinam recte rationis exacte ponderarent, majori ſane cum certitudinis fundamento ſententiam ſuam poſſent proferre, neque tam turpiter vulgi deridiculo ſemet exponerent. Quid utilitatis in methodo medendi ſpeciali invenienda, in adplicandis remediis & dijudicandis eorum viribus, quas in corporibus his vel illis diverſimode exerunt, obſervationes & hiſtoriæ morborum accuratiores adferant, ediſſeri vix verbis poteſt. Quam diverſiſſimæ ſint medicorum circa remediorum heroicorum uſum opiniones & miræ diſſenſiones, in vulgus notiſſimum

eſt,

eſt. Quidam venæ ſectionem in certis morbis tanquam divinum plane remedium & nulli ſecundum extollunt, quidam vero penitus in iisdem damnant & rejiciunt. Opiata, purgantia, emetica tanquam activiora, imo venenoſa remedia alii prorſus relegant vel raro adhibent, alii vero ſine his nihil laude dignum ad lectum ægrotorum poſſe effici contendunt. Rationes harum ſententiarum ſi exquiris, ſinguli uno ore ad experientiam provocant. Hic certe non proclivior emergendi ex hiſce difficultatibus eſt via, quam ſi obſervationes cum cura & diligentia conſcriptas de illis morbis, in quibus damnum vel ſalutem illa medicamenta attulerunt, probe conferamus ac ponderemus; tunc enim facile apparebit, pro differenti circumſtantiarum ratione in eodem malo hæc inſignem opem vel etiam luculentum damnum attuliſſe, adeoque in ſe non eſſe nociva, ſed in medicos culpam eſſe devolvendam, qui iis non recte, iisdem videlicet circumſtantiis præſentibus, uſi fuerunt. Ita medicus gnarus & peritus ex intermittente tertiana vel quartana, laboranti ægro, penſitatis prius omnibus circumſtantiis & certis adhibitis conveniendi ſub methodo & victus regimine cautelis, chinam chinæ ſalutari cum ſucceſſu offert: contra imperitus, omnia inconſiderate & improvide agens, idem remedium proponit, diverſo tamen & plane infauſto cum effectu, quippe non infrequenter vel recidivæ pejores & longe contumaciores conſequuntur, vel in morbos permoleſtos & non facile poſtea ſubigendos febris transmutatur; uti experientia docet, malum hypochondriacum, cachexiam, hypdropem & hujus generis alios morbos inde propullulaſſe. An quæſo ea propter jure damnandum

 hoc

hoc remedium tanquam infidum & valde inſecurum, an vero accuſandus potius eſt medicus, quod illud præpoſtere & improvide adhibuerit? Equidem, ut opinor, in medicum culpa omnis eſt rejicienda; obſervanda enim ſi obſervaſſet, de auſpicato eventu pariter gaudere potuiſſet. Patet ex his magna obſervationum utilitas. Ego ſane unam de certo morbo accurate conſignatam & cum omnibus circumſtantiis notatam hiſtoriam, plus æſtimo, quam mille laudana, arcana & ſplendidiſſimas medicamentorum compoſitiones, licet a ſole, vita & ſanitate nomen obtinuerint longe ſuaviſſimum. Vix enim ullus contingit morbus, ex cujus completa obſervatione non aliquid, quod noſtrum intellectum antea fugiebat, addiſcere posſimus, ad minimum veritas, quæ jam ſatis clare detecta & inventa eſt, hac ratione ſubinde magis ſtabilitur & confirmatur. Quum itaque accuratæ morborum hiſtoriæ tam eximiæ ſint in pathologicis & praxi medica utilitatis, hinc mecum in animo conſtitui, de methodo eas accurate conſcribendi & ad uſum adplicandi, diſſertatiunculam ſpeciminis Inauguralis loco concinnare, cui labori ut Summum Numen gratiam ſuam conferat, precibus devotiſſimis oro.

§. I.

Ante quam rem ipſam aggredimur, tribus tantum verbis ſciagraphiam brevem hujus tractationis præmittere nobis viſum fuit, ut primo ſtatim intuitu pateſcat, qua methodo & ordine diſſertationis noſtræ argumentum perſequi velimus. Primo quidem in genere oſtendemus, quod hiſtoriæ morborum, ſi fructus exoptatos & valde eximios percipere inde cupiamus,

mus, integræ & perfectæ, nec ullis alicujus momenti circumſtantiis nudatæ eſſe debeant. Deinceps ſubjungemus, in quasnam ſpeciatim circumſtantias, ubi in accuratiorem ſubjecti, morbi & remediorum notitiam perveniendi animus eſt, ſit inquirendum, quo maxime etiam cadaveris poſt mortem ſedulam pertinere judicavimus inſpectionem. Hiſce adductis de genuina hiſtoriarum morbi accurate conſcriptarum ad uſum medicum adplicatione diſſeremus, ad quam veram theoriam medico-phyſicam & acerrimum medici judicium neceſſarium eſſe demonſtrabimus, qua occaſione etiam ſimul, ſed obiter tantum, de hypotheſium fictarum in medicina damno agetur. Porro enucleabimus rationes, quare obſervationes accuratæ & integræ in veterum æque ac plerorumque recentiorum monumentis vix & ſatis parce reperiantur, & tandem monitum dabimus omnibus ſtrenuis medicinæ cultoribus & practicis, ut in poſterum diligentius incumbant utiliſſimo huic obſervationum ſtudio, eo quod nihil magis hoc ipſo ad medicinæ incrementum conferat.

§. II.

Momentum itaque primum noſtræ diſſertationis eſt, ut adſeramus, obſervationes & hiſtorias morborum, ex quibus inſignis in artem noſtram fructus redundet, completas, integras & perfectas eſſe debere. Quemadmodum enim in Jure ad decidendas ex æquo controverſias & judicium ſolidum ferendum integra facti, ut dicere amant legum periti, ſpecies cum ſingulis circumſtantiis requiritur: ita idem in medicina obtinet. Medicus parum ſolidi de natura alicujus morbi judicabit, minus quoque aptum & ſalubre conſilium

exhibebit, niſi prius de ſingulis circumſtantiis circa morbum obſervandis probe ſit informatus. Et hæc circumſpectio eo magis neceſſaria eſt, quia eorundem morborum non eædam ſemper ſunt cauſæ eademque prorſus ſymptomata, ſubjecta quoque differunt, quoad ætatem, ſexum, temperamenta, vitæ rationes, conſuetudines & plura alia, quæ ad producendos fovendosque morbos concurrunt, adeo, ut interdum certam conſtantemque morbi ejusque ſymptomatum naturam ita perturbent, ut difficile ſit veritatem indagare, niſi complexus horum omnium plene annotetur & ſagaci rationis uſu perpendatur. Sæpiſſime etiam unica circumſtantia tanti momenti eſt, ut longe alia medendi via ſit ineunda. Quandoque minima viſa circumſtantia maximæ eſt conſiderationis, ideoque non facile quidpiam eſt prætermittendum. Præclare hanc in rem *Baglivus* commentatur *Libr. III. Praxeos Medicæ Cap. III. natura*, inquit, *nihil fruſtra molitur, minimaque ſunt ſæpius magnarum rerum initia & minima quoque ad notitiam grandium nos ducunt.* Hanc quoque ſententiam exemplo illuſtrat, quando pergit: *flatus pedendo emiſſi judicantur motus viles & nullius ad curationem momenti, & tamen, ſi in dyſenteria flatus, qui prius non aderant, per inferiora exire incipiunt, brevi ſanitatem promittunt, ut nos aliquotiet obſervavimus.* Neque etiam integræ morborum hiſtoriæ eæ vocari poſſunt, ubi ex obſervatoris arbitrio quædam circumſtantiæ, quæ nunquam per totum morbi decurſum occurrerunt, malitioſe finguntur. Hoc fieri adſolet quandoque ab iis, qui arcanorum ſuorum, quæ ipſi diſpenſant, ob turpis lucri ſtudium, celebritatem aucupantur.

Unde

Unde ad hunc ſcopum aſſequendum præter alias ineptias mira encomia ſpargunt, inter quæ familiariſſima ſunt hæc, quod, quam primum medicamentum intra corpus fuerit admiſſum, quaſi reviviſcere ſubito & integræ ſanitati reſtitui patiens ſemimortuus fuerit viſus; item, quod omnia ſymptomata protinus remiſerint, aut, quod per omnes venas & arterias univerſi corporis ſtatim medicamenti vis penetraverit, virusque ſanguini commixtum expulerit, ita ut momentaneum ægrotantes perceperint ſolatium & mox perfectæ ſanitati redditi fuerint. Taceamus alias complures plusquam ſesquipedales, ut ita dicam, gloriationes de medicamentis ſæpe fatuis & ad ullam vel leviſſimam in corpore humano actionem producendam plane ineptis. Non dubito igitur fore, ut plerique rerum medicarum gnari earundemque æqui æſtimatores nobiscum conſentiant, quando diximus, ad accuratam & quæ uſum præſtet, morborum hiſtoriam requiri omnium circumſtantiarum, maxime vero eſſentialium, certam & exquiſitam notitiam, ita ut ſi unica earundem vel deficiat vel perperam cognoſcatur, aut minus dextre adhibeatur, vel, quod a ſincero medico procul abſit, plane affingatur, univerſa inde petita theoremata & conſectaria practica infirmo talo ſuperſtructa deprehendantur. Toti itaque in eo eſſe debemus, ut plenas & perfectas nec fictitiis circumſtantiis corruptas obſervationes conſignemus & undiquaque colligamus. Quia vero rariores eæ deprehenduntur in monumentis tum veterum, tum recentiorum medicorum, optandum hinc vehementer foret, ut quivis ad cultiorem in arte ſalutari eruditionem adſpirans hominumque ſanitati fideli-

deliter invigilans medicus caſus in praxi occurrentes, præſertim notabiliores pleniſſime annotare atque hoc pacto incrementum artis medicæ indefeſſo ſtudio promovere anniteretur.

§. III.

Ad integram vero hiſtoriam de morbis concinnandam non ſolum requiruntur circumſtantiæ, quæ ſubjecti ægrotantis naturam & conſtitutionem intime patefaciunt ac morbi genium & indolem exhibent, ſed etiam ea, quæ vires & effectus produnt remediorum, phænomena annotanda. Subjecti, quod patitur, accuratior cognitio quantum conferat ad rationem cumprimis ſymptomatum, in eodem morbo non raro mire diſſidentium, in diverſis ſubjectis detegendam ac medendi methodum inveniendam, res tam clara eſt, ut nulla egeat probatione. Etenim pro differenti corporum indole ac conditione idem morbus ab eadem cauſa productus plane diſſidentibus ſymptomatibus incedit. Quemadmodum enim idem alimentum, idem purgans vel emeticum vel aliud quodvis heroicum remedium, idem quoque venenum longe alios diverſiſſimosque effectus pro differenti corporum indole edit: ita etiam morbificæ cauſæ ejusdem indolis plane multis modis diverſam morbi faciem ratione ſymptomatum, ratione periculi & ſalutis in diverſis ſubjectis exhibent. Alta enim mente repoſitam ſemper omnibus optavi hanc præſtantiſſimi uſus regulam philoſophicam, non dari abſolutas agendi vires in corporibus, ſed omnes eſſe conditionatas & relativas atque mirifice pro diverſa corporum, in quæ agunt, & quæ illas recipiunt, conditione mutari & modificari.

§. IV.

§. IV.

Neceſſarium igitur eſt, ut in hiſtoria alicujus morbi mentio injiciatur de ætate ſubjecti patientis, de ejus ſexu, ſtructura habitu, temperamento & robore corporis, hæreditaria ad morbum certum diſpoſitione, moribus animi, conſuetudine ac vitæ genere. Equidem ætas ipſa patientis non parum ad cognoſcendam morbi indolem confert. Alit enim quævis ætas præcipuos ſubinde morbos: immutatur ſecundum certas ætates varie ipſa ſanguinis craſis, textura & fluiditas, & humorum motus pro diverſitate ætatum magis impetu ſuo inclinat & fertur ad has, quam illas partes. Robur pariter & ſenſibilitas corporis ſecundum ætates mirifice variat. Sexus eam ob rationem determinandus eſt, quia magna ratione ſenſibilitatis, imbecillitatis & roboris plerumque inter maſculinum & femininum intercedit differentia, feminæ etiam ſubinde ob menſium fluxum variis & peculiaribus paſſionibus ac miris motuum inordinationibus præ viris exponuntur. In ſtructura & habitu partium explanandum eſt, an habitu corporis gaudeant Spongioſo, laxo, an vero ſtricto? an macilentæ ſint corporis conſtitutionis, an vero obeſæ? an color corporis ſit cachecticus, luridus, flavus, an vero pulcher, floridus & rubicundus? an vaſa ſanguifera poſſideant copioſa & exilia, an vero pauciora & ampliora? Hæc enim omnia de ſanguinis motu atque conditione non fallax præbent indicium. Hæreditariæ porro diſpoſitionis ad certum morbum cognitio medicum inſtruit de nativa partis imbecillitate, cujus extirpationi per medicamenta vel vitæ regimen non adeo promtus relictus eſt locus. Vires corporis cumprimis ſunt conſiderandæ, quia in genere magnum de

ſucceſſu curationis & morbi eventu futuro edunt præſagium. Et profecto in praxi reſpiciendum ſemper eſt ad corporis imbecillitatem, ne dum prodeſſe illi auxiliis noſtris intendamus, illud magis deſtruamus & morbi indolem plane invertamus. Ratione animi inquirendum, an ægrotantes frequentioribus ac vehementioribus illius affectionibus ſint expoſiti? an ad iram, terrorem, an vero ad mœrorem & triſtitiam magis inclinent? Dici enim vix poteſt, quantæ ſint animi affectus in morbis tam producendis, quam prolongandis & deteriorandis efficaciæ. Quoad vitæ genus videndum, an illud ſit peripateticum, valde motorium, laborioſum, an vero ſedentarium & otioſum, an ex laborioſo repente mutatum in otioſum? Inquirendum quoque, cuinam ſtudio, opificio vel artificio addictus ſit æger, ſiquidem & hæ res mirifice diſponunt ad peculiares morbos, unde quidam non incelebres medici de eruditorum æque ac opificum & artificum morbis obſervationes conſcripſerunt. Præterea perſcrutandum, an ſomno nimium indulgeat homo, an vero is parcior ſit & non raro vigiliis tædioſis vel turbulentis phantasmatibus ac terrificis inſomniis interturbetur? an lucubrationibus noctes ſæpe inſomnes terat? an conſuetudine quadam prava gaudeat nimium, an illam, licet corporis ſanitati moleſtam animadverſam, nihilominus ſectatus fuerit, an vero repente intermiſerit? Quibusnam cibis utatur? an duris & difficilibus concoctu, an vero mollibus & facile ſubigendis? an voracitati ſit deditus & cibos magna cum aviditate ingerat? an laute & plene vivat? an ebrietati ſtudeat & vini ingurgitationi præter modum addictus ſit? an immoderatius & inordina-

dina-

dinatius vivat, nec ordinem ac tempus in adſumtione ciborum obſervet? an venereis luſibus nimium indulgeat ad languorem usque? Sciendum quoque, quænam aëris, ubi habitat, ſit conditio, quibusnam aquis fruatur & quæ ſunt alia, uno verbo: omnium earum rerum, quas medici non naturales vocant, uſus & abuſus probe notandus. Ex erratis enim in diæta & uſu rerum, quibus quotidie ad corporis conſervationem utimur, commiſſis, primordia & origines morborum probe cognoſcere juvat, quod certe ad præſervationem a morbis ampliſſimum uſum habet.

§. V.

Porro ad interiorem corporis individui cognitionem perveniendi cupidum ſcire oportet, in quo ſtatu omnis generis excretiones poſitæ ſint vel fuerint. Expiſcari hunc in finem ante omnia debet medicus ad lectum ægrotantis, an ille adſuetus alias fuerit certis ſanguinis excretionibus, v. g. ex vaſis hæmorrhoidalibus, inguinalibus, uterinis, narium, bronchialibus, brevibus ſic dictis ventriculi, & an eæ jam ſuppreſſæ penitus ſint, vel inordinatius, videlicet parcius aut inſolentius ac nimium procedant? an fiant periodice cum ſanitatis inſequente commodo, nec ne? Maximi ſane momenti hæc de ſanguinis excretionibus circumſtantia eſt, quippe ab iis ſuppreſſis maxima mala corpori noſtro imminent & certisſime etiam illud afficiunt, niſi in tempore earum reſtitutioni invigilet æger cum medico, aut alia prudente methodo ſe muniat: ut taceamus incommoda, quæ ab earum fluxu nimio vel inordinato in corpus humanum ſæpe redundant. Alvi quoque ratio potisſimum habenda, an officio ſuo recte fungatur,

nec ne? Etenim ſi alvus antea ſemper bene ſuccedens, inopinato clauditur, certisſimum ſignum eſt male habentis corporis & morbi jam imminentis, ſique in morbis acutis diutius clauſa eſt & longo tempore obſtipata permanet, ſemper pejus ſe habent ægri, hac vero ſoluta ſymptomata mox mitigantur. Non vero tantum obſtructio alvi, ſed & ejus nimia fluxio ominoſa eſt, unde in hujus excretionis conditionem diligens ſuscipienda eſt inquiſitio. Pariter urina contemplanda, qualis emittatur colore & conſiſtentia? an præcipitetur, nec ne? an clara, limpida, aquæ ſimilis mingatur? an nimis copioſa, varia materia heterogena, ſabuloſa nempe, mucida, furfuracea, cretacea, purulenta referta emittatur & an interdum ſuppræſſa ſit? Non quidem ſtatuimus, medicum exinde certisſimum de corporis individui natura, morbi indole, progreſſu & eventu vaticinium depromere & ex vitro urinario, tanquam ex oraculo Delphico, reſponſa de vita & morte dare poſſe, has enim ineptias plusquam aniles jam pridem deriſerunt rationales medici. Interim tamen negari haud poteſt, quod uroſcopia ceteris circa morbum occurrentibus circumſtantiis una collatis cumprimis utilis ſit ad ſpasmodicas interiorum partium ſtricturas cognoſcendas, ad æſtus præternaturalis augmentum vel decrementum explorandum & quæ ſunt hujus generis alia. Huc ſpectare mihi etiam videntur illæ quaſi criticæ excretiones, quæ tempore certo, præſertim verno & autumnali, in magnum ſanitatis commodum in hoc vel illo homine fieri aſſolent, ſeri nimirum pituitoſi, ſalſi ex pectore, ſinibus capitis & inteſtino recto. Quærendum igitur ex ægro eſt, an his ipſis alias fuerit adſuetus? an

in

in ſalutem corporis ipſi ceſſerint? an tempore ſolenni redierint, an vero jam per tempus bene longum emanſerint?

§. VI.

Præterea ad individui naturam paulo penitius indagandam pertinet etiam hæc maximi momenti circumſtantia, ut ſollicite quærat ex ægro medicus, num ullo forſan alio morbo antea laboraverit & cujusnam generis ille fuerit? quomodo is curatus ſit & qua ratione fuerit finitus ac ſolutus? Sæpiſſime evenit in praxi, ut ex præpoſtera medicatione æger ex uno morbo præcipitetur in alium, quandoque longe periculoſiorem, moleſtiorem ac diuturniorem. Ita nihil familiarius eſt, quam quod ex febre tertiana vel quartana laborantes intempeſtivo chinæ uſu incidant in cachexiam & pertinax illud malum ſic dictum hypochondriacum. Neque vero tantum cura imprudenti medicaſtrorum talismodi transmutatio accidit, ſed quandoque etiam fit, ut ſponte morbus unus transeat in alium, præſertim ſi æger in tempore neglexit convenientium remediorum uſum, vel morbus ob imbecillitatem naturæ non recte ſolutus eſt, & materia vitioſa ante plenariam evacuationem in alias partes decubuit, vel in ipſis illis partibus imbecillitatem & diſpoſitionem ad alios morbos promte recipiendos reliquit. Utiliſſimum vero eſt, medicum ſcire, qualis fuerit morbus, quo antea laboravit, qua methodo & quibus remediis fuerit tractatus, vel, ſi absque ullo medico ſponte decurrit, quibus cum ſymptomatibus & ſub quanam diæta id contigerit? Ita enim multo exactius, ſolidius ac firmius de morbi jam præſentis

inde orti indole, curatione atque eventu formabit judicium.

§. VII.

Tandem etiam in ægrotante explorandus eſt ſanguinis ſtatus, diſpoſitio viſcerum & generis nervoſi conſtitutio. Sanguinis ſtatus optime ex pulſu arteriarum cognoſcitur, unde in eo dijudicando medicum oportet eſſe acutiſſimum. Videndum ante omnia, utrum is ſit celer & præter modum auctus, an valde debilis & inordinatus vel plane intermittens? Videndum quoque, an ſanguinis nimia adſit abundantia, quæ cognoſcitur ex facie rubicunda, venis & arteriis extraordinarie tumidis & ſimilibus aliis ſignis. Perpendendum quoque eſt, an ſanguinis abundantiæ ſimul juncta ſit ejus impuritas vel cacochymia, quæ ex facie lurida, cutis variis defœdationibus, ſanguinis per venæ ſectionem emiſſi ſpiſſitudine, & cachectico habitu pateſcit. Viſcerum diſpoſitionem quod attinet, inquirendum maxime eſt, an illa ipſa ſana adhuc ſint, vel jam labem quandam conceperint? an oſtructa, infarcta, indurata, vel prorſus aliqua ex parte corrupta ſint? id quod ex functionum læſione optime perſpicitur. Generis nervoſi conſtitutio an imbecillis, an robuſta ſit, ex ſenſibilitate animi, teneritudine corporis, promtitudine ad convulſiones & ſpasmos patet. Hæc omnia, quæ hucusque de ſubjecti ægrotantis natura cognoſcenda in medium attulimus, judicio medici probe ſubacta in morbis tam cognoſcendis, quam dijudicandis egregium lumen adferunt.

§. VIII.

Quodſi vero ſubjecti natura probe cognita ac perſpecta fuerit, transeundum porro eſt ad eas circumſtantias

tias explorandas, quæ morbi genus ejusque genium, originem & progreſſum patefaciunt. Etenim unusquisque morbus peculiarem & quaſi propriam, qua incedit, habet indolem, quandoquidem non modo certos typos & temporum periodos in acceſſione & incremento ſervat, certis etiam modis ac per certas vias atque excretiones ſolvitur, ſed & plane ſpeciali ratione in turbandis ac pervertendis motibus & actionibus ſecundum naturam ſeu ſymptomatibus efficiendis procedit, ex quibus omnibus probe invicem collatis morbus recte cognoſcitur & ab aliis quoque diſtinguitur. Ad veram autem morbi alicujus cognitionem ſedulo adſpirantem medicum oportet explorare circumſtantias, ex quibus patescit, in quantum actiones tam vitales, quam naturales & animales in aliquo morbo a ſtatu ſecundum naturam deflexerint. Disquirendum eapropter eſt, qualis ſit appetitus? an proſtratus vel imminutus, an vero inordinatus aut nimius? quænam ſomni & virium ſit ratio? quomodo arteriarum pulſus & reſpiratio ſe habeant? quænam excretionum, cumprimis per alvum, urinam & tranſpirationem, ſit conditio, qualis viſcerum & generis nervoſi ſtatus? quo pacto circulus ſanguinis præſertim per viſcera abdominis & caput procedat? an ventriculus & inteſtina magna ſordium colluvie ſcateant? quomodo ſe habeat harum partium valde nervoſarum tonus ac motus periſtalticus? an metuendæ ſint periculoſæ inflammationes, an vero eædem jam adſint? utrum impendeant lethiferæ partium internarum ſphacelationes? an malum, ex quo æger laborat, ex hæreditaria quadam labe evenerit? an ſit epidemicum & a cauſa communi aëris & tempeſtatum inæqualium, anni tempore,

pore, corruptis alimentis ortum ſuum traxerit, an vero ſit endemium, a loci, climatis, peculiaris vitæ generis natura dependens? an ab animi affectibus fuerit concitatum, an vero per contagium irrepſerit? an intermiſſiones ac periodos, an vero exacerbationes & remiſſiones habeat? an morbus ſimplex vel complicatus vel perverſa medendi methodo corruptus ſit? quo tempore hæc corruptio inducta fuerit? Ex hiſce circumſtantiis, quæ utique in accurata & perfecta morbi hiſtoria ſingulatim annotari & recenſeri debent, medicus ſolidior perquam utilia conſectaria ratione eventus morbi poteſt elicere & judicare, quid proſit vel noceat, ſiquidem inde veram originem, generationem & cauſas læſionum & ſymptomatum deducere ac derivare poteſt.

§. IX

Ulterius ad perfectam & integram morbi hiſtoriam & augendam medicinæ utilitatem ac dignitatem nihil aptius eſſe judico, quam ſi quis remediorum, quæ in morbo quodam præſcribit, vires & operationes exquiſitiſſime noſſe allaboret, & omnia ac ſingula poſt adminiſtrationem alicujus medicamenti ſe exerentia phænomena probe annotet. In completa igitur morbi alicujus hiſtoria commemorandum, quænam medicamenta tam ex pharmaceuticorum, quam ex domeſticorum claſſe, quonam cum vehiculo, qua doſi, quo tempore & ordine ſint adhibita? quænam mutatio & effectus exinde in corpus redundaverit? an morbus in melius vel deterius ab eorum uſu abierit & an is absque ullo medici & medicamentorum uſu & auxilio, ſolo naturæ beneficio, fuerit terminatus? quo ordine & ſym-

ſymptomatum proceſſu morbus a natura fuerit ſolutus? Optandum ſane quam maxime foret, ut accuratas haberemus obſervationes de ſingulorum morborum in diverſis individuis naturali proceſſu ac decurſu, id eſt, ubi totum opus naturæ commiſſum, nec ullum plane medicamentum adhibitum fuit, & in quibus omnes circumſtantiæ ita nude deſcriptæ ſunt, uti ſe invicem una in ſerie exceperunt. Ita enim firmius judicium ferre poſſemus de viribus medicamentorum. Tum facillimum eſſet dijudicatu, an affectus alicujus exacerbatio, quæ certum medicamentum paulo poſt adſumtionem ſequitur, ex immutabili naturæ lege atque nexu cauſarum profluxerit, an vero a medicamento illo ſtricte & abſolute inducta fuerit. Pariter, ſi affectus remiſſio atque ſymptomatum allevatio ſequitur non ita multo poſt adminiſtratum remedium, majori tunc certitudine eſſet concludendum, an hæc conſequentia naturæ aut medicamenti operationi, an vero utrisque ſimul ſit tribuenda. Non infrequenter enim fit, ut medici arcanis ſuis tribuant, quæ ſolius naturæ beneficio contigerunt, unde tanta ſimplicium & compoſitorum medicamentorum encomia in libris practicis & botanicis proſtant.

§. X.

Ex hiſce itaque accurate obſervatis & conſcriptis circumſtantiis medicus non ſolum de naturæ effectu in conſervandis motibus vitalibus ſæpius ſumme ſtupendo optime inſtruitur, ſed exactiſſimam etiam virium & operationum medicamentorum in tot diverſis hominum naturis, locis, temporibus ac morbis acquirit notitiam, qua in re utique cardo medicinæ practicæ unice verti-

tur. Quis enim alius finis ac ſcopus eſt obſervationum medicarum, quam ut medicus remediorum, quibus in curando utitur, vires & efficaciam apprime calleat. Præclare hinc *Hippocrates* Libr. *de decenti ornatu* monet, cum ait: *firma memoria teneto medicamenta & ſimplices facultates deſcriptas* (intelligit obſervationes; uti interpretor) *ſi modo tales exiſtant. Sint & in memoria tibi morborum curationes & harum modi quotupliciter & quomodo in ſingulis ſubjectis ſeſe habeant. Hoc enim principium eſt in medicina, medium & finis.* Quod ſi enim hac in parte deficit artis ſalutaris miniſter, quid, quæſo, ſolatii miſero ægrotanti adferet & quid laude dignum in praxi efficiet? Ardua vero res eſt, ad exquiſitam horum notitiam pervenire, uti ex jam dictis patere poteſt. Hisce accedit & illud, quod vires corporum & ita etiam medicamentorum operationes non ſint abſolutæ, ſed relativæ & conditionatæ, id eſt, medicamenta ex ſe & ſua natura, adeoque abſolute certum effectum juvandi vel nocendi non exerunt, ſed tum demum juvant vel nocent, quando diſpoſitum inveniunt corpus ad actionem eorum recipiendum, atque ita certo modo ut cooperetur corpus & ad operationem remedii fauſtam vel infauſtam concurrat, neceſſe eſt. Et hanc ob cauſam evenire ſæpius videmus, ut idem remedium, quod huic inſigniter profuit, alteri mirum quantum noceat.

§. XI.

Tandem etiam ad completam morbi, ex cujus vehementia æger extinguitur, hiſtoriam conſcribendam multum momenti adfert, ſi deprehenſa in ſectionibus hominum vita defunctorum ſimul curioſe annotentur, ſiqui-

ſiquidem hac ratione optime in cauſarum tam morbificarum, quam lethiferarum cognitionem penetrare poſſumus. Hanc tamen cautelam hac in re diligenter attendere oportet, ut ne ea phœnomena,in diſſectis cadaveribus obuia,pro cauſis primis & proximis habeamus, quæ,re penitius inſpecta, tantum ſunt effectus cauſarum atq; ipſius mortis, qui error a multis committi ſolet, etiam eum in finem, ut vulgo perſuadeant, morbum, ex quo diem obiit æger ſupremum, tam atrocem fuiſſe, ut nullo modo *ille* potuiſſet ſalvari. Interea tamen frequentiſſime contingit, ut ope cadaverum diſſectionis plane ſingulares inſolitorum morborum atque ſymptomatum cauſæ detegantur ac in aprico ponantur. Plurimos, ſi anguſtia propoſiti penſi non vetaret, poſſem in medium proferre caſus morborum, in quorum cauſis cognoſcendis multi & quidem magnæ celebritatis medici valde impegerunt, dum alter has, alter alias erroneas adduxit, facta poſtea ſectione vel polypoſæ in corde aut vaſis majoribus concretiones, vel abſceſſus meſenterii,vel calculi in veſicula fellea aut veſica urinaria, vel rupta ſanguinea aut lymphatica vaſa,vel ingentes glandularum tumores,vel putrida viſcera,vel uterus disruptus in conſpectum venerunt, de quibus tamen cauſis altum antea erat ſilentium & nihil plane de horum præſentia cogitatum fuit. Quamobrem diſſectiones cadaverum frequentiores & ſolertiores a medicis anatomes peritis majorem in modum commendandæ ſunt, eo quod vera cauſarum morbi cognitio & prudens remediorum ad eas auferendas adplicatio potiorem eruditionis in medico practico abſolvant partem, & ipſi duarum alarum loco ſint, quarum ope ſe in altum humo

 extol-

extollere, & per ora, ut Poëtæ verbis utar, virorum volitare poteſt.

§. XII.

Poſtea quam igitur ea, qua par eſt, perſpicuitate enucleavimus modum hiſtorias morborum dextre conſignandi, ſuper eſt nunc, ut etiam breuibus oſtendamus, quibus ſubſidiis neceſſariis opus habeamus, ſi illis recte uti atque ad uſum in medicina adplicare cupiamus. Pulchrum quidem eſt, ditiſſimum obſervationum ſelectiſſimarum & optimarum ſupellectilem poſſidere, at pulchrius multo modum ſcire in uſum medicum eas convertendi & corollaria ad praxin utilia inde eliciendi, vel problemata practica iisdem ſcite reſolvendi & apte explicandi. Hunc vero ſcopum ut obtineamus, opus eſt vera theoria medico-phyſica, & quidem accuratiſſima cognitione corporis humani & eorum, quæ concurrunt ad ejus vitam ac ſanitatem. Videlicet requiritur, ut quis de uſu & functionibus omnium corporis partium plena gaudeat notitia, ut exacte ſciat, quid ad vitam ejusque conſervationem unaquæque harum contribuat. Deinceps neceſſarium eſt, ſcire naturam & proprietates & vires earum rerum, quæ in hominis uſum ac nutrimentum cedunt, alimentorum nempe, elementorum, medicamentorum & aliarum rerum corporearum, ubi, quæ proſunt vel obſunt, vitam conſervant vel viam ad morbos & mortem pandunt, accurate callere debemus. Quemadmodum enim in genere circa veritatum inveſtigationem atque inventionem hoc obtinet, ut novæ & ignotæ inveniri ac detegi nequaquam poſſint, niſi in ſubſidium vocentur jam notæ & claræ ac evidentes & illarum cum his diligens comparatio

ratio inſtituatur: ita & cum obſervationibus medicis ſeſe res habet; neutiquam enim ex his novæ veritates, id eſt, cauſæ illorum factorum, eventuum & effectuum, quæ in obſervationibus continentur, detegi poſſunt, niſi in ſubſidium vocata theorica phyſico-mechanica & anatomica, ex qua corporis humani & omnium ejus partium ſtructura, ſitus, connexio & uſus ope variorum tentaminum anatomicorum prius accurate noſſe & addiſcere oportet & per multivaria experimenta phyſica, chymica & mechanica vires & proprietates rerum corporearum, quæ pabulum quaſi & materiam vitæ, ſanitatis, morborum, & mortis ſubminiſtrant, & quibus carere non poſſumus, cognitæ & perſpectæ eſſe debent.

§. XIII.

Theoria igitur phyſica medicus, qui verum ex obſervationibus uſum capere vult, probe inſtructus ſit neceſſe eſt. Quo pacto enim is ex caſu quodam, vel, uti loquuntur, ſpecie facti cum certitudinis aliquo fundamento judicabit, an externa violentia illata læſio periculoſa aut lethalis ſit, ſi in anatomicis plane ſit hoſpes & ſitum uſumque partium ignoret? Quale, quæſo, judicium de quadam facti ſpecie is elaborabit, quem fugit exquiſita de ſtructura corporis humani, ſitu, nexu & uſu partium cognitio? Qua ratione ſedem cauſæ morbificiæ & partem affectam conjectura non fallaci deprehendet, ſi neſciat, quodnam viſcus in loco affecto ſitum ſuum obtineat, & quanam illud functione gaudeat, quem uſum & nexum atque conſenſum cum aliis, maxime vicinis partibus habeat & quid ad vitæ conſervationem in ſpecie contribuat? quomodo veram morbi alicujus naturam, indolem & cauſas, quæ in motibus partium

ſolidarum & fluidarum irregularibus conſiſtunt unice, recte dijudicabit, niſi doctrinam motuum & quidem ſpeciatim circulationis ſanguinis per totum corpus & per ſingulas ejus partes calleat, quæ pariter ex anatomicis & mechanicis experimentis eſt perdiſcenda. Quomodo de natura & indole pulſuum in morbis dextre judicabit, niſi de natura, ſpeciebus, proprietatibus atque effectibus motuum antea probe ſit inſtructus? Quodſi igitur ejusmodi theoria phyſica ad obſervationes adplicatur ejusque ope quædam veritates inveniuntur, tunc ex plurimis iis inventis regulæ & axiomata eliciuntur, ex quibus demum vera & ſolida theoria medica exſtruitur, quæ ad medici ſcopum adprime neceſſaria eſt & merito ſcientia audit univerſalis, ex qua quævis occurrentia phænomena facile dijudicare, & quid facere vel omittere debeat, perſpicere poteſt medicus. Ex hiſce jam ſatis clare patere arbitror, quod theoria phyſica vel ſtudium phyſicæ experimentalis & anatomiæ in ſtabilienda ſolida theoria medica præcedere debeat. Probe enim hoc eſt obſervandum, quod ſubinde una veritas alteram pariat & ex jam notis aliæ ignotæ poſſint inveniri, qui uſus plane inſignis ex opinionibus & præconceptis hypotheſibus haudquaquam expectandus, quippe quæ ad inveniendas veritates nihil conferunt, & in hoc merito & unice differentia inter opiniones & veritates ponenda eſt.

§. XIV.

Ex modo dictis & adductis indubie ſequitur, quod ex pluribus jam notis veritatibus convenienti adplicatione & diligenti comparatione cum ignotis ſubinde novæ & quæ propius ſcopum medicum attingunt, poſſint

dedu-

deduci & elici veritates. Ut vero ex notis veritatibus medicus capacior reddatur ſubinde inveniendi ignotas, reſolvendi item caſus & obſervationes & ad uſum adplicandi, opus eſt, judicio ut is polleat acerrimo, ſingula diligenti meditatione evolvat, omnes res & concurrentes circumſtantias probe ponderet, nec ſe in judicando præcipitet, ſed temporis beneficio utatur & omni modo in id incumbat, ut concluſiones, quas formauit, apte defendere queat. Ad hanc vero promtitudinem perveniendi non commodior & melior eſt via, quam ſi utamur methodo demonſtrandi & inveniendi, quam mathematici in algebraicis & geometricis adhibent, in quibus ſolida & vera praxis logica & ſyllogiſtica continetur. Et hæc methodus eo magis arripienda eſt ab iis, quorum intellectus valde obſcurus & hebes, nec nativa bene judicandi & ratiocinandi facilitate inſtructus eſt. Et hæc quoque eſt ratio, quare ſtudium theoriæ mathematicæ non ſolum in medicina, ſed in aliis etiam ſcientiis intellectum illuſtriorem reddere perhibeatur, unde meo quidem judicio non male ſibi conſulunt, qui mox in tenerioribus annis huic ſtudio ſeſe addicunt.

§. XV.

Quemadmodum vero theoria phyſico medica & methodus mathematica in recte adplicandis obſervationibus medicis & novis ſubinde veritatibus detegendis magno & præclaro uſui ſunt: ita e contrario nihil magis veritatibus & certitudini in medicina adverſatur, quam hypotheſium & opinionum abſurdus amor. Sunt vero hypotheſes principia quædam ficta, quæ nonnullis quidem phænomenis explicandis inſerviunt, minime vero omnibus quadrant. Harum in numero poni merentur tum veterum, tum recentiorum varia nomi-

na

na, nihil ſignificantia, ut calidum innatum, humidum radicale, ſpiritus inſitus & influus, natura vel anima ſapiens, archæus & quæ ſunt alia hujus furfuris. Referri huc quoque merentur Galeni ejusque aſſeclarum intemperies quatuor humorum, Sylvii acidum, viſcidum & bilis, potentiæ multiplices ſalinæ vel fermenta morbifica plurimorum recentiorum aliæque opiniones, ob paginæ anguſtiam ſilentio hic pætermittendæ. Ab ardenti hoc in novas hypotheſes ſtudio quot & quanta in medicinam irruperint mala, longum eſſet hic plene commemorare, paucis tamen proferam meam ſententiam. Primo quidem præclariſſima quæque ingenia doctis & ingenioſis illis fabulis ita corrumpuntur, ut ad obſervandas morborum qualitates & medicamentorum vires ac proprietates inveſtigandas plerumque non ſolum pigeat, ſed etiam pudeat. Dein ſtudioſorum animi, quibus ſemel imbuti ſunt commentitiis ſententiis, iis tam firmiter inhærent, ut poſtmodum in medicina facienda non probabiles tantum eas habeant, ſed etiam tanquam certas adhibere nequaquam dubitent. Porro emergunt inde infinitæ illæ inter medicos diſſenſiones, quæ non tantum in eorum ſcriptis, ſed maxime ad lectum ægrotantum advertuntur, ubi raro de morbi genere, ejus cauſis & methodo medendi invicem conſentiunt, quæ res non modo in maximam ægrotantis cedit perniciem, ſed & artis noſtræ dignitati multum detrahit, ita ut etiam apud vulgus male audiat, quod ſuo jam tempore indicavit *Hippocrates*, dum *Libr. de victu acutor.* §. 4. ait: *calumniam incurrit tota ars apud vulgus adeo magnam, ut neque omnino medicinam eſſe putent. Nam in acutis morbis in tantum inter ſe differunt artifices, ut quæ alter ex-*

exhibet optima eſſe putans, ea alter jam mala exiſtimat ut fere ob id artem vaticinationi ſimilem eſſe dixerint.

§. XVI.

Denique quanti errores in praxin medicam non redundant ex perverſo hypotheſium amore? Reperias medicos, qui venæ ſectionis uſum omnino diſſuadent ex præconcepta falſa hypotheſi, quod cum ſanguine, qui nunquam copia peccare poſſit, vitæ theſaurus exhauriatur. Alii eam in febribus tam acutis, quam intermittentibus damnant, eo ducti hac hypotheſi, quod natura in febribus non excretioni, ſed conſumtioni abundatis ſanguinis intenta ſit. Nonne quidam emeticorum uſum penitus proſcribunt, eo quod ſibi perſuadeant, plurimos morbos ex plethora vel ſanguinis excretionibus conſuetis ſuppreſſis ortum ducere, ubi vomitoria ullum locum plane habere nequeant. Opiata & omnia ſopientia, imo ipſa caſtorina & vaporoſa eam ob rationem a quibusdam tanquam exitioſa rejiciuntur, quia juxta eorum hypotheſin ſolutionem plethoræ & ſanguinis excretiones potius impediant, nequaquam vero has ipſas juvent. Taceamus plures alios a fictitiis hisce principiis in praxin medicam redundantes valde ſuperſtitioſos errores. Ut vero ex harum fallacium opinionum labyrintho evadamus, fili Ariadnei loco eſt earum adplicatio & comparatio ad medicas obſervationes, num uſum in iis reſolvendis & in praxi habeant, tum enim vanitas & ſterilitas earum clariſſime eluceſcet.

§. XVII.

Monſtrata itaque via ad valde eximios & utiles in medicina progreſſus faciendos, reſtat jam, ut paucis evolvamus, quare a multis retro ſeculis medicina non ad

altius faſtigium evecta ſit. Rationes præcipuæ, quare priſci & medii ævi medici majores in arte ſalutari non fecerint progreſſus, hæ mihi videntur. Primo enim antiquioribus temporibus ſtudium hiſtoricum morborum paulo negligentius fuit tractatum, quod ex monumentis illorum patet, ubi rariſſime invenies cum cura & debita fide conſcriptam morbi hiſtoriam. Deinceps corporis humani plena & exacta ſtructura, quæ anatomico cultro indagatur, & ſolida theoria phyſica, id eſt, mechanices & rerum naturalium ſcientia caruerunt, & pro veris cauſis ſterilia maxime nomina venditarunt, verasque vitæ, ſanitatis, mortis & morborum cauſas & medendi etiam rationes aptas ignoraverunt. Tum quoque magnum ſanguinis circulationis inventum, quod caput artis noſtræ eſt, in abſcondito latuit. Conivendum vero veteribus hac in parte eſt, quoniam ex penuria ſubſidiorum & ſcientiarum huc pertinentium ultra progredi vix potuerunt. Atmirandum ſane quam maxime eſt, quod noſtro ſeculo, ubi ſtudium anatomicum, phyſicum, chymicum & mechanicum, præſtantiſſimis experimentis ſubtilius excultum eſt, tam exiguus progreſſus in medicina usque huc factus fuerit. Rationes hujus rei plurimæ reddi poſſunt, inter quas non infima eſt, quod plerique ex recentioribus medicis non ſecus ac veteres negligant obſervationum accuratarum de morbis annotationem. Præterea inventa illa pulcherrima phyſica ad hiſtorias morborum & obſervationes vel plane non vel inepte adplicant. Ut ex omnibus ſanguinis hic proferam circulum, quis præſtantiſſimum illud inventum ad pathologiam & therapiam ſcientifice pertractandam dextre adhibuit? annon quotidie

tidie adhuc allegari videmus falſas ex diu abrogatis veterum principiis depromtas concluſiones, quæ doctrinæ de circulo ſanguinis directe oppoſitæ ſunt. Tertia ratio & primaria eſt, quod plurimi medici falſis hypotheſibus tam firmiſſime inhæreant easque ad morborum hiſtorias, plerumque inepte deſcriptas & potioribus circumſtantiis nudatas, perverſe adplicent. Plurimi in doctorum ſuorum verba jurant, eorum auctoritatem adorant & ſibi gloriæ ducunt, ſi tantorum virorum ſimiliolæ ſalutantur. Et hæ ſunt potisſimum cauſæ, quæ medicinæ incrementum hucusque retardarunt.

§. XVIII.

Noſtro quidem tempore per diligentiorem ad lectum ægrorum obſervationem & elegantiſſima alia ſubſidia magnum lumen in medicina a quibusdam claris viris accenſum eſt, ſed quoniam nondum ad tantum faſtigium adſcendit medicina, ut ſummum perfectionis gradum attigerit, cum multa adhuc ſuperſint, in quibus ingenium ſuum poſt multa ſecula futura poſteritas exercere atque acuere poſſit, idcirco monemus omnes & ſingulos, qui operibus medicinæ præſunt vel aliquando præeſſe cupiunt, ut ne ullam occaſionem prætermittant reipublicæ medicæ utiliter inſerviendi. Cumprimis vero monendi ſunt juniores practici, ut, ſi ad lectum ægrotorum eos vocari contingat, non obiter, obſtrepere & percurſorie, empiricorum more, audito ſaltim morbi nomine, ad receptarum, uti vocant medici, conſcriptionem & curam ſe accingant, ſed ea potius lege, quam ſupra oſtendimus, omnes prius circumſtantias explorent, quo in individui, morbi & remediorum, quæ præſcribenda ſunt, accuratam deveniant cogni-

gnitionem. Neque etiam inutilis labor erit, ſi poſtmodum domi omnia & ſingula, quæ obſervarunt, unoquoque die, probe & fideliter annotent, quoniam memoria admodum ſæpe labilis eſt. Exploratis hoc modo circumſtantiis omnia phœnomena judicio acri ſecundum leges ſanioris theoriæ examinare, probe conſerre & reſolvere decet, qua methodo non ſolum facile penetrabit, quale ſit morbi genus, ſed etiam ſymptomatum rationes & curandi indicationes aptas inveniet, neque facile in prognoſi circa eventum morbi errabit. Ex paucis tali modo conſcriptis & dextre ponderatis ac reſolutis morborum hiſtoriis majorem longe eruditionis fructum percipiet, quam ſi complura volumina practica indefeſſa opera perlegat: ſiquidem revera adfirmare poſſumus, quod vix ullus morbus occurrat, in quo non aliquid meditatione & ponderatione dignum reperiatur, & ex quo non aliquam utilitatem haurire poſſimus, eo quod maxima circumſtantiarum in morbo eodem quoad ſubjectorum diverſitatem obſeruetur variatio.

S. G. D.